

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**[Materialien zur Rechtsgeschichte der Stadt Bremen]  
[CIM I 102]**

**[Bremen], [17. Jahrhundert]**

[Drittes Kapitel]

[urn:nbn:de:gbv:45:1-90089](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-90089)

trahi Frisios, quod cum illis nobis Commune  
 est, id silentio praterendum non putavi-  
 mus: Neque enim quicquam in eo dubii, non  
 parvam Frisia partem Episcopo Bremensi  
 fuisse subiectam, testes sunt literae Caroli-  
 nae, quarum limites etsi sint valde immi-  
 nuti, restat tamen etiam hodie ea Frisia  
 pars, quae inter Visurgim Albing porrigitur,  
 et ager Wurdensis, Wurstenensis, terra vetu-  
 ris et Kedingia, unde et forum Stotel ad  
 differentiam Pagi Stotel Lesmonensis  
 Cognominatur

### Capitulum 3.

Quando Brema coeperit esse  
 Civitas

Non satis est Bremam fuisse antiquam  
 quid enim si pagus tantum fuerit aut vicus?  
 Novus enim Episcopus Wilhadus, quem  
 Caesar, Carolus Magnus introduxit Anno 788.  
 effecisse videtur, ut Brema fuerit Civitas

-cum ante illa tempora Civitatis Bremæ vix  
 usquam, at soepius, Bremæ loci seu villa pub.  
 lica mentio fiat. Sed Wilhadum Bremam  
 Civitatem invenisse et non constituisse, etsi  
 pro barbaria istius seculi literis de eo parum  
 proditum sit, ex eo apparet, quod Fasciculus  
 temporum b sub annum 700 Civitatis Bre.  
 mensis mentionem faciat. Verba sunt hæc ex  
 Wenero Rolowincio. A. 700. Westphalia  
 confertitur ad fidem, ubi duo Edwaldi albus  
 et Niger Presbiteri sancti, de Anglia venien.  
 tes, prædicaverunt. Et paulo post. Tandem  
 martyrisati sunt in Comitatu Hoja prope  
 Bremensem Civitatem, quem locum Magde.  
 burgici concinmatores cita reddunt. Sic  
 etiam Saxones habuisse ecclesias Sabellius  
 innuit, ac Bremæ Civitatis cum vicino Co.  
 mitatu de Hoja meminit. Fasciculus tem.  
 porum. Chronicon quoq nostrum notat Wil.  
 hadum Civitatis libertates et privilegia  
 a Casare impetrasse, eaq non tantum literis

Cæsaris, quas Civitati s: quæ vox Rempubli-  
 cam aliquam, quælis ætate illa fuerit notat. s: con-  
 servandas tradiderit, quasq: propter vetusta-  
 tem multis testibus transsumi illa curavit:  
 Sed et conspicuo Rolandi testimonio obsigna-  
 tur. Civitas ergo jam ante fuit Brema, et jus  
 Civitatis habuit, non Civitas primum esse coepit:  
 Idemq: evidenter comprobatur diploma Friderici  
 Cæsaris, quo An. 1186. privilegia, quæ Wil-  
 lehadus à Carolo Magno impetraverat, con-  
 firmantur, et quædam nominatim repetuntur,  
 omnino talia, ut apertissimum sit Bremam Ci-  
 vitatis jus ante habuisse; non tantum enim  
 Diploma Civitatem nominat, et *Willehadus*,  
 cui Willehadus a Carolo Magno privile-  
 gium impetravit, sed etiam ostendit, ea  
 fuisse prope singularia, taliq: ut aliis Ci-  
 vitatibus etiam velle constitutis non competere,  
 ut patet, quod cives Bremenses contra antiquo-  
 rum Herorum vindicias, et hæreditatum, rerum  
 expeditoriarum s: *Hängwaden* petitiones, unius  
 anni et diei præscriptio tueri, ac securitatem

eis prestare debeat, Ex quo patet, quando Brema locus seu villa publica nuncupatur, talem intelligi haud dubie locum, qui jure Civitatis decoratus fuit.

Quid? quod antiquitas et celebritas Phabirani, de quibus capite superiori diximus, argumento sint, aliam ejus conditionem, et gentis libertatem fuisse majorem, quam ut locus à nobilissimis auctoribus tantopere nobilitatus, pagus aut villa privata videri possit.

Plane si quis existimet, Willehadum, Bremæ Civitatis jus, aliave privilegia dedisse, is cum Erpoldo Lindemburg a tota erraverit via. Quod cum de libertatibus ac privilegiis Brema Willehado non debet, palam est, id cum non dedisse sed tantum à Cesare Carolo Magno intercessionem suam impetrasse; imo nec dare potuisse: Cum jure tam Saxonicum quam civili inter majora Cæsaris reservata numeretur, et ab ejus unius s. nullius autem inferioris principis voluntate expressa vel tacita pendeat, jus civitatis certo

alicui loco concedere, quemadmodum etiam  
 jus Emporii permittere, Academias fundare,  
 etc.

Nec quicquam impedit, quod Prema  
 longis post temporibus demum cincta fuit  
 muris et propugnaculis. Civitatis enim  
 verbo jus ipsum, non locus, non regio, non  
 denique urbs continetur. Et potest ipsa  
 sibi Civitas constare, moenibus urbium solo  
 aquatis. Etsi enim omnes hae voces, oppidum,  
 urbs, Civitas plerumque confundantur, diver-  
 sam tamen significationem habent; Oppida  
 non erant aratro cincta, urbibusque minora, quae  
 majora erant, et in nomen urbium transibant,  
 aratro cingebantur, eorumque ambitus aratro  
 designabatur. Civitas autem ipsum jus  
 notat, quod legibus et magistratum impe-  
 riis continetur. Adic enim, ait Seneca,  
 est vinculum quo Respublica cohaeret, illa  
 est spiritus vitalis, quem Civitas trahit,  
 nihil ipsa per se futura, nisi onus et praeda,  
 si mens illa et subtrahatur. Qua de causa  
 cum

cum in senatu Romanorum de Carthagine  
 excindenda decerneretur, pervulgata  
 fama, Carthaginenses legatos Romam mi-  
 serunt, in urbem ante rerum gestarum glo-  
 ria clarissimum, ac urbis ipsius Roma  
 decus, monumentumq; victoriarum illustri-  
 um delerent, nihilominus re diu multumq;  
 in senatu agitata, decretum est, ad Imperii  
 Romani salutem Carthaginem deleri oportere,  
 tum propter loci opportunitatem, tum propter  
 insitam Poenis perfidiam, qui jam Romano-  
 rum socios bello laccessiverant, et finitimos  
 populos ad defectionem invitabant; Postea  
 quam ita decretum esset, Legati Cartha-  
 ginensium in senatum venire iubentur, qui-  
 bus responsum est a Consule, ut in fide Se-  
 natu Populiq; Romani permanerent, obsidi-  
 bus trecentis, et navibus Populo Romano  
 datis, Civitatem Carthaginensium salvam  
 fore, jura, privilegia, immunitates easdem  
 habituros quibus usi fuissent; Legati, ac-  
 cepto responso domum redeunt, interea

Scipio Africanus junior accepta classe  
 Carthaginem mature proficisci iubetur,  
 et urbem ferro flammamq; delere, salvis civi-  
 bus ac rebus omnibus; quas ex Civitate  
 exportare possent.

Scipio Censorinum legatum mittit, qui  
 posteaquam obsides una cum navibus  
 Carthaginensibus recepisset iussit popu-  
 lum universum Carthaginensem ex urbe  
 excedere, sic tamen, ut quaecumq; vellet  
 exportare, urbemq; a portu remotiorem  
 tendere liceret: Carthaginenses, Imperii  
 Ducis perterriti, fidem Senatûs Popu-  
 liq; Romani appellant, quibus responsum  
 est, Populum Romanum fidem semper  
 coluisse, et quaecumq; legatis eorum pro-  
 missa fuissent, præstitisse, Civitatem  
 vero moenibus urbis minimè contineri.  
 Ita Carthaginenses verborum ambiguitate  
 decepti, urbem totius Africae pulcherrimam  
 ardere, ac solo æquari viderunt.